



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput I. Ex Concilio apud (a) Compendium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

TITVLVS XLIII. De Presbytero nondum baptizato.

CAPUT I.

Ex Concilio apud (a) Compendium.

SI quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.

NOTÆ.

1. (a) **C**ompendium.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & apud Burchardum lib. 4. Decreti, cap. 74. Ivonem Carnot. part. 1. Decreti, cap. 268. Gratianum in cap. si quis 60. 1. quest. 1. & meminit Innocent. III. infra, in cap. veniens: idest in Synodo habita in palatio Regis Caroli apud Compendium. Unde textus hic reperitur inter Capitularia Caroli lib. 6. capit. 93. in hæc verba: *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, & ordinetur iterum. & omnes, quos prius baptizavit.* Illa autem verba: *Et omnes, quos prius baptizavit*, iuste omittuntur in præsentia Raymundo, licet à Decretistis referantur; quia baptizatus non accipit gratiam à ministro, sed ab ipso sacramento; ideo à quocunque, etiam Judæo, vel Pagano administratus, dum sub debita, & legitima forma, & cum intentione faciendi quod Ecclesia facit, iterari non debet: quod & cau-

tum video in ipsis Capitularibus lib. 5. capitul. 4. ibi: *Si quis baptizatus est à presbytero non baptizato, & sancta Trinitas in ipso baptizato invocata fuit, baptizatus est, sicut Sergius Papa dicitur impositione vero manus indiget.* Gregorius Episcopus Roman. & Joannes Sacellarius sic referunt. Ubi pro Gregorio legendum est, *Gregorius*, ut in ipso Concilio Compendiensi habetur. Gregorius hic, & Joannes Sacellarius fuerunt Legati Stephani Papæ ad Pipinum, quorum ipse Stephanus meminit in epistol. 2. Codicis Carolini, quem edidit Grethicus. Unde rectè Raymundus omisit in præsentia ea verba: *Et omnes, quos ipse baptizavit.* Quia illi nullo modo sunt rebaptizandi, ex proximè dictis; imò omnia gesta ab ipso Presbytero non baptizato, ob publicam utilitatem sustinentur, argumento textus in l. Barbarius, de offic. Prætor.

Commentarium hujus textus dabimus infra, cap. 3.

CAPUT II.

Innocent. III. Episc. (a) Cremonens.

Apostolicam Sedem consulere decrevisti. Et infra: Inquisitioni tuæ taliter respondemus: Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solum, & cælestis patriæ gaudium esse (b) adeptum asserimus incunctanter. Lege super octav. lib. August. de (c) civit. Dei, ubi inter cætera legitur: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit. Librum etiam (d) D. Ambrosii de obitu Valentini, idem asserentis revolve. Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges preces, (e) hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato.

NOTÆ.

1. (a) **C**remon.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 2. sed ut notavit Ant. Augustin. in notis ad hunc textum, legendum est, *Innocent. II.* nam Decretales epistolæ Innocentii III. tantum reperuntur in tertia aut quarta collectione, juxta ea, quæ adduxi in appa-

ratu ad hæc commentaria. Innocentius II. antea Gregorius dictus, monachus Benedictus, electus fuit in summum Pontificem die xiv. Februarii anno 1130. ut referunt Baronius, & Corjo-lanus in eodem anno. Ludovic. à S. Carolo in Biblioth. Pontif. lit. I. Cremona est in plaga occidentali, climate septimo, ac regione salubri gaudet; sed protendens obliquè in longitudinem à Me-